



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 41. S. Antonius venit Alexandriam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

Sæculum IV. Eusebii industria effectum, ut ipse Imperator Athanasio scriberet, Epistola Cæsaria a duobus Palatii Ministris Syncletio, & Gaudentio delata, inter alia continebat sequentia: *cum ergo meam voluntatem scias, liberum Ecclesiæ ingressum omnibus, qui ingredi volunt, relinque, si enim audivero, quod alicui, ingressum desideranti, denegaveris, mittam, qui te deponant, & longius in exilium deducant.* S. Athanasius, ad has minas intrepidus, Imperatori rescripsit, docens; hæresi Jesum Christum oppugnantem, nihil cum Ecclesia Catholica commune esse posse.

§. XLI.

S. Antonius Alexandriam venit.

Sup. l. IX. S. 37. Credibile est, S. Antonium a S. Athanasio Alexandriam vocatum, ut partes Catholicorum firmaret, quippe a tempore persecutionis sub Maximiano nunquam ibi visus fuerat; hoc saltem exploratum hunc S. Abbatem, ab Episcopis, & omnibus Fidelibus rogatum, de monte descendisse, urbem Alexandriam ingressum. Athanasios excommunicasse, & dixisse, hanc vitam Ant. esse de ultimis hæresibus unam, quæ tempora Anti-Christi præcederet. Docebat populum, Filium Dei non esse creaturam, aut ex nihilo factum, sed æternum, de substantia Patris, Verbum ejus, & Sapientiam

tiam. Nulla, dicebat: cum impiis Aria-
 nis vobis sit communicatio, vos Chri-
 stiani estis, ipsi, qui Filium dicunt esse
 Creaturam, nihil a Gentilibus differunt,
 dum creaturam loco Creatoris adorant.
 Omnis populus audiens Antonium Hære-
 sin anathematizantem lætabatur, omnes,
 ut virum Sanctum viderent, accurrere,
 ipsi Gentiles, & Sacrificuli ad Ecclesiam
 veniebant, dicentes: *cupimus videre vi-
 rum Dei*; ab omnibus quippe ita voca-
 batur. Ad ejus preces Deus multos ener-
 gumenos, & furibundos curavit. Etiam
 ex Paganis aliqui Antonium saltem tan-
 gere cupiebant, credebantque juvari;
 his paucis diebus plures ad fidem, quam
 alias uno anno, conversi sunt. Dum ali-
 qui virum a tanta hominum turba mole-
 stari crederent, & multitudinem recede-
 re juberent, ait leniter: *non sunt isti ma-
 jores numero Dæmonibus, quibuscum in
 monte decertamus.* Abeuntem multis
 comitantibus, quos inter ipse erat Atha-
 nasius, ad portam civitatis clamans mu-
 lier revocabat: *mane, vir Dei! filia mea
 crudeliter a Dæmone torquetur, mane, &
 subsiste, rogo te! ne & ipsa currendo emo-
 riar!* rogatus subsistere, substitit, acce-
 dit mulier, filia in terram se dejiciebat;
 Antonio orante, & Nomen Jesu Christi
 invocante, exiit Diabolus, & filia sana-
 ta surrexit. Benedicebat Deum Mater,
 omnes,

Sæculum IV.
 A. C. 328.
 Rom. I. c.
 25.

Sæculum IV. omnes viro gratias agebant; ipse gau-
 A. C. 328. dens ad montem, tanquam in domum
 suam remeavit.

e. 25.

Duobus Philosophis Gentilibus, una
 die ad se venientibus, obviam procedens
 ait: *cur ita fatigamini, ut hominem fa-*
tuum inveniatis? respondent, sibi vero
 persuasum, esse eum sapientissimum,
 tum ipse: *si hominem insanum quæsi-*
stis, inutilis est labor vester, si autem sa-
pientem creditis, me sequamini! si enim
ego vos quæsitum ivissem, ideo fecissem, ut
imitarer vos. Ego autem Christianus
sum. Ipsi stupentes recesserunt. Alii
 venerunt ad partem exteriorem montis,
 & illudere volebant, quod litteras igno-
 raret; ad hos ait: *quid vobis videtur,*
quodnam altero prius est, sana ratio, aut
litteræ? quodnam est causa, & principium
alterius? dixerunt rationem præcedere,
 & ab hac litteras esse inventas, ergo, re-
 spondit: *sanam rationem habenti litteræ*
necessariæ non sunt. Redierunt admiran-
 tes hujus illiterati sapientiam, non enim
 rusticis erat moribus, quamvis in mon-
 te consenuisset, sed comis, & jucundus,
 & sermones ejus sale cœlesti conditi.

e. 26. 27. Alio tempore quosdam Philosophos er-
 roris convicit, demonstrans Religionis
 Christianæ excellentiam, & quam a ratio-
 ne abhorrens sit, Idola adorare, ad quod
 faciendum ipsi sua Religione induceban-
 tur.

§. XLII.